

ex quo, sed ad summum in quo, quod satis est.
59. Obijcies 11. in Concilio Alexandrino lib. 2. contra Iulianum habetur, quod filius Dei est creare; ergo &c.

Respondeo non indigere solutio[n]e tale argumentum; quia iam solutum est supra hic n. 48. & alibi, tum hic ad obiectio[n]es respondendo, tum in probando conclusionem antecedenti subsectione 4. vnde Sancti Patres solum dicunt quod de facto talis creatura non datur, non negant de possibili; impugnabant ipsi opinionem illorum, qui dicebant mundum creatum fuisse ab Angelis, quod est falsum ut supra dixi.

S E C T I O N . IV.

De potentia obedientiali causarum secundarum.

Philosophiam Christianam scribendo, prout serua Theologia est, dum de causis egi, mihi in mentem venit obedientia creaturarum, siue causarum secundarum respectu prima cause; vnde stabiliui de potentia obedientiali sermonem facere, cuius gratia hanc sectionem posui: de qua res si non quidquid dici potest, dicam saltē quod necessarium est. Videndum est praeceps quid sit potentia obedientialis, an talis potentia in anima rationali detur, sicut & in Angelo, an non apparentia implicantiæ fundet assensum de rei possibilitate, an in re, quamvis detur, potentia obedientialis ad producendum quodlibet, & alia prout materia obiectum locum mihi praestabit.

S V B S E C T I O N .

Quid sit potentia obedientialis.

SI omnes modos recensere vellem, quibus a Doctoribus accipitur potentia obedientialis nomen, cum sint innumeri, certè confusionem facerem: est ergo maxima dissensio inter scribentes de hac re, quas opinione[s] ego non adducam, quia nihil ad me facit. Ut ergo explicare possim quid sit potentia obedientialis, ad uerendum est, potentiam propriè dictam duplicem esse, actiu-